

status, ob legum multitudinem difficultatemque gravior; hic verò alter exoptatissimus vicinior erat. Nam adhuc nonnisi obscurissimè adumbratum fuerat figuris mysterium restituendæ celestis illius hereditatis per Jesum Christum, quam primus parens amiserat. Igitur Ioseam filium Nun in medium produxit; cumque celestis suo instinctu Josuam, hoc est, Jesum, vocari jussit, ut ille postremæ politicæ antisitem et administrum, Jesum Christum, non solum factis adumbraret, sed ipso etiam nomine clarè referret. Nam quem Hebræi, יְהוֹשֻׁעַ, Josuam vocant, eum à Græcis, Ἰησοῦς, Jesum hinc, nemo dubitare potest, qui sacram historia vel præteritis aspexit. Quòd enim Talmudici, et hos caecos duces secuti Judei, servatoris nostri nomen, יְהוֹשֻׁעַ, sed præcisè et paucioribus litteris, יוֹשֻׁעַ, notant, id nefarii homines per contumeliam faciunt; et simul, ne, quem dixi, typum agnoscere cogantur. Quæ verò Petrus Galatinus, pro nomine יְהוֹשֻׁעַ asserendo prodidit, in opere Arcanorum catholica veritatis, ea parùm firma sunt. Utillud Judæicum, etsuperstitiosum, quod alii de accepto atque ascito ex nomine illo divino, quod יְהוֹשֻׁעַ vocant, nos quadrilitterum dicere possumus; elemento uno Jod, pro grandi mysterio factant. Quia Justinus philosophus, et scriptis, et sanguine sui fidei nostræ assertor, non dubitat apud Tryphonem suum, illa Dei ad Ecclesiam verba, quæ in Exodo Scripta sunt: *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, et quæ sequuntur, atque his tandem verbis concluduntur, quia nomen meum est in ipso*; ista, inquam, verba non dubitat Justinus huic nostro Josue accomodare; ut qui Dei Christi Jesu nomine appellatus, populum perduxerit in terram patribus olim promissam. Et sanè non est absurda illa interpretatio, quanquam fatendum est, eadem dicta in Christum ipsum perfectissimè quadrare, ut in quo fuerit Dei nomen, hoc est, ipsa, ut sic dicam, Dei essentia, quæ nomine illo quadrilittero יהוה Jehova quadamtenus significatur. Sic enim Paulus sensit, cum Christum fuisse diceret, eum qui Israelitis per desertum præibat. Nam usitatum est in sacris litteris, quæ de Christo ipso, deque ejus regno, etiam simul aliis personis accommodare, quæ alium, καὶ ἀλλοῦ, adumbrant; tametsi hæc narrationis veritatem non usquequaque, tueri, ac sustinere possint. Sed ut eò revertamur unde sumus digressi, qualia modò veteris Testamenti

exempla, de nominibus consulte aut impositis, aut mutatis protulimus, talia in novo quoque plurima occurrunt. Simonem enim, Cepham à Christo esse vocatum, hoc est Petram, propter Ecclesie fundandæ mysterium, testatur divus Cyprianus. Et Joannes tonitru filius meritò est appellatus, qui aliquando plenus numine, oraculum illud celeste, quasi ex ipso æterni patris abditiissimo sinu, esset intonaturus apud mortales: *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, etc.*, sed hæc satis sunt. Quid enim opus pluribus, in re non dubiâ? Porrò cætera quæ ad Josuam vel magnam indolem, vel imperandi felicitatem, vel denique personam in rebus gerendis, quæ Christum adumbravit, atinent, ea suis quæque locis in explicando hoc commentario ostendentur. Sed enim, postularet de more hic locus, ut conquesta et proposita, quoad ejus fieri posset, maximâ utilitate, quosvis ad præsentis libelli lectionem invitarem. Sed quando divus Paulus sacros libros universè omnes semel nobis satis commendavit, tanquam *thesaurum*; et à Dei spiritu dictatos, utilesque ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad disciplinam justitiæ, denique ad ita comparandum hominem pium, ut ad omnem probitatem sit instructus, eruditusque ad salutem, quam per fidem, quæ Christo Jesu habetur, consequi possit, quâ utilitate nulla sanè major excogitari queat, non puto magnum opere pretium fore, si in eâ re prolixior sim; quare tribus hunc locum verbis expediam. Anni erant elapsi circiter quadringenti, ex quo Abraham primùm id promissum fuerat à Deo, quod hic jam ipsius posteris præstari videbimus; qui tamen interea tam dissimiles sæpè illi suo parenti fuerant, ut videri poterint operam multam dedisse, quæ se illis promissis facerent indignos. Primùm igitur in hæc historia, quasi in speculo, apparebit admirabilis Dei, in tuendâ veri sui veritate, constantia; potius enim immensâ bonitate adversus nostram contumacem viliositatem ille diu multumque decertat, quam sua promissa patiatur cadere ad irritum; quanquam esse non possunt illa quidem certè unquam, quoad ipsum, irrita, etsi à nobis interdum impediebantur. Atqui ne sic quidem prostris eventibus carent, sed novis quibusdam modis ab illo ad rem conferuntur. Sed hoc suo loco pluribus disputabitur. Præterea Josue persona nunquam non representabit nobis præcipuas, quæ bonum imperatorem decet, virtutes.

Quarum summa est, Deum in omni re religiosè consulere, à quo, ut diximus, principum omnium auctoritas dependet, et felicitas, rerumque gerendarum successus; quique solus novit quæ facta, aut non facta opus sint; eorumque benignè illos, qui se ritè colunt, admonet: cæteroque si, neglecto Deo, humana consilia illi sectentur, nihil certiora agant, quam si sortis casum. Denique illud etiam luculenter ostendetur, per probam religionem popularium, republicas maximè conservari. Ac proinde imperatorem, atque adeò principem quemlibet, debere non solum seipsum præstare probum piumque adversus Deum, verum etiam ut parentes sanctissimè Religionem teneant et colant, procurare. Ad hæc, subiectur oculis universæ Chananae descriptio. Quæ, etsi ignotorum nomina multitudinè lectori molestior, quam utilis videri possit, mirificè tamen utilis, imò necessaria est, ad

CAPUT PRIMUM.

1. Et factum est (A) post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum, tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel.

3. Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.

4. A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hiethaorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui cum Moysese, ita ero tecum; non dimittam nec derelinquam te.

6. Confortare, et esto robustus; tu enim sorte divides populo huic terram pro quâ juravi patribus suis ut traderem eam illis.

(A) Et factum est. Conjunctio et, quæ sic in principio nonnullorum librorum Scripturæ sacre legitur, indicat librorum horum connexionem. Ille monet librum Josue esse sequentiam historie quæ in Moysi Pentateucho continetur.

intelligendas rectè plurimas in sacris litteris historias. Sed hoc quoque suo loco dicitur explicatis. Postremò, hujus libri narratio, non tam Josue filii Nun res gestas, quam Jesu Christi sacramenta et economiam nobis proponet, ut ait Adamantius, et nos passim ostendemus, pro nostri ingenii mediocritate. Nam, ut ante diximus, Josua, et nomine, et rebus gestis Christum adumbravit, pulcherrimoque exemplo docuit, nos, quotquot Christo nomen dedimus, nisi per continuas difficilesque certationes adversus septem præcipua, quæ probitati nostræ perpetuò infesta sunt, vitia susceptas, celestem nostram hereditatem adipisci non posse. Sed hæc hactenus. Puto enim ex his perspicuum satis esse, maxime hunc sacrum commentarium abundare utilitatibus. Quare ad ipsam ejus interpretationem accedamus, virtute auspicio veri Josue, hoc est, Jesu Christi nitescentes, fidentesque.

CHAPITRE PREMIER.

1. Après les trente jours du deuil de la mort de Moïse, serviteur du Seigneur, le Seigneur parla à Josué, fils de Nun, ministre de Moïse, et lui dit :

2. Moïse mon serviteur est mort; allez, et passez ce fleuve du Jourdain, vous et tout le peuple qui est avec vous, pour entrer dans la terre que je donnerai aux enfants d'Israël.

3. En quelque lieu de cette terre que vous alliez, partout où vous aurez mis le pied, je vous livrerai ce lieu-là, selon que j'ai dit à Moïse.

4. Vos limites seront depuis le désert de Sin, du côté du midi, et le Liban, du côté du septentrion, jusqu'au grand fleuve d'Euphrate, du côté de l'orient; ainsi vous posséderez tout le pays des Hébreux et des autres peuples de la terre de Chanana, depuis la partie orientale jusqu'à la mer Méditerranée, appelée la grande mer, qui regarde le soleil couchant.

5. Nul de ces peuples ne pourra vous résister, ni à vous ni à mon peuple, tant que vous vivrez et que vous observerez avec fidélité la loi que je vous ai donnée. Je serai avec vous pour vous secourir, comme j'ai été avec Moïse; je ne vous laisserai point, je ne vous abandonnerai point.

6. Soyez ferme et courageux; car vous partagerez à tout ce peuple par le sort la terre que j'ai promise avec serment à leurs pères de leur donner.

7. Prenez donc courage et armez-vous d'une grande fermeté, pour observer et accomplir toute la loi que mon serviteur Moïse vous a

7. Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus; ne declines ab eâ ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.

8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam et intelliges eam.

9. Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus. Noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicitur:

11. Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12. Rubenitis quoque et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse ait:

13. Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram.

14. Uxores vestræ et filii ac iumenta manebunt in terrâ quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem; vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis,

15. Donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis; et sic revertimini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in eâ, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum.

16. Responderuntque ad Josue, atque

prescripserunt. Ne vos in détournes ni à droite ni à gauche, afin que vous fussiez avec intelligence et avec succès tout ce que vous avez à faire.

8. Que le livre de cette loi soit continuellement dans votre bouche, et ayez soin de le méditer jour et nuit, afin que vous observiez et fassiez tout ce qui y est écrit. Ce sera alors que vous rendrez votre voie droite et heureuse, et que vous vous y conduirez avec intelligence et avec succès.

9. Je vous l'ordonne, soyez ferme et courageux, ne craignez point et ne vous épouvanitez point; car quelque part que vous alliez, le Seigneur votre Dieu sera avec vous.

10. Josué fit donc ce commandement aux princes du peuple, et leur dit: Passez par le milieu du camp, et donnez cet ordre au peuple, et dites-leur:

11. Vous êtes maintenant dans l'abondance, par la conquête que vous venez de faire du pays des Amorrhéens: faites donc provision de vivres: car dans peu vous décamperez d'ici, et trois jours après que vous aurez décampé vous passerez le Jourdain, et vous irez prendre possession de la terre que le Seigneur votre Dieu doit vous donner. Alors la manne cessera de tomber, et vous aurez besoin des vivres que vous pouvez maintenant emporter.

12. Il dit aussi à ceux de la tribu de Ruben, de la tribu de Gad et à la demi-tribu de Manassé:

13. Souvenez-vous de ce que vous a ordonné Moïse, serviteur du Seigneur, lorsqu'après vous avoir donné les terres que vous possédez, il vous a dit: Le Seigneur votre Dieu vous a mis en repos et vous a donné tout ce pays.

14. Vos femmes, vos enfants et vos bestiaux demeureront dans la terre que Moïse vous a donnée en-deçà du Jourdain, et la plus grande partie de ceux d'entre vous qui sont en état de porter les armes demeurera avec eux pour les garder; mais pour vous, tous tant que vous êtes de vaillants hommes, passez à la tête de vos frères les armes à la main, et combattez pour eux,

15. Jusqu'à ce que le Seigneur donne le repos à vos frères, comme il vous l'a donné, et qu'ils possèdent aussi eux-mêmes la terre que le Seigneur votre Dieu doit leur donner; et après cela vous reviendrez dans le pays que vous possédez pour y habiter, comme dans le lieu que Moïse, serviteur du Seigneur, vous a donné en-deçà du Jourdain, vers le soleil levant.

dixerunt: Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, et quocumque miseris ibimus.

17. Sicut obediimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi; tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moise.

18. Qui contradixerit ori tuo et non obediit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur; tu tantum confortare, et viriliter age.

16. Ils répondirent à Josue, et lui dirent: Nous ferons tout ce que vous nous avez ordonné, et nous irons partout où vous nous enverrez.

17. Comme nous avons obéi à Moïse en toutes choses, nous vous obéirons aussi; nous souhaitons seulement que le Seigneur votre Dieu soit avec vous comme il a été avec Moïse, et qu'il vous accorde comme à lui sa puissante protection.

18. Que celui qui contredira les paroles qui sortiront de votre bouche et qui n'obéira pas à tout ce que vous lui ordonnerez, soit puni de mort. Soyez ferme seulement, et agissez avec un grand courage. Nous vous obéirons, et nous vous suivrons partout.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Post mortem autem Moysis servi Domini, dixit Dominus ad Josuam, filium Nun, ministrum Moysis, inquit: — 2. Moses servus meus obiit. Jam ergo surge; transi Jordanem istum, tu, et omnis populus iste, in terram quam ego do ipsis filiis Israel. — 3. Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi, sicut locutus sum ad Moysen. — 4. A deserto, et usque ad Libanum istum, et usque ad flumen magnum flumen Euphratem. Omnis terra Hethæorum, et usque ad mare magnum ad occasum solis, erit terminus vester. — 5. Non consistet quisquam adversus te omnibus diebus vite tuæ. Sicut fui cum Moise, ero tecum. Non deseram te, neque destitui te. — 6. Esto fortis et firmus: nam tu mittes populum hunc in possessionem terræ, quam juravi patribus israhel, me ipsis daturum. — 7. Prorsus esto fortis et firmus valde: ut observes agere secundum universam legem, quam imperavit tibi Moyses servus meus. Ne divertas ab eâ ad dextram aut sinistram, ut prudens sis in omni eo, in quo versaberis. — 8. Non dimoveatur liber legis iste ab ore tuo. Sed meditare in eo die nocteque, ut observes agere secundum omne id quod scriptum est in ipso. Tunc enim prosperabis viam tuam: et tunc prudens eris. — 9. An non mandavi tibi? esto fortis et firmus; ne sis pavidus, neque frangere. Quia adest tibi Dominus Deus tuus, in quocumque re versaberis. — 10. Igitur Josua monitoribus populi jussit, dicens: — 11. Transite per medium exercitum, et præcipite populo, dicendo: Parate vobis cibum, quia intra triduum vos transitis Jordanem istum, ut eatis possessum terram, quam Dominus Deus vester dat vobis possidendam loco hereditatis. — 12. Ad Rubenitas verò et Gaditas, ac dimidiam tribum Manassis ait Josua, dicens: — 13. Memores estote ejus rei quam mandavit vobis Moyses servus Domini, dicens: Dominus Deus vester dat vobis quietem, et attribuit vobis terram istam. — 14. Uxores vestræ, parvuli vestri et pecudes vestræ manebunt in eâ terrâ quam attribuit vobis Moyses cis Jordanem: sed vos pergetis balteis succineti coram fratribus vestris, omnes viri militares, opemque feretis ipsis. — 15. Donec quietem dederit Dominus fratribus vestris sicut vobis. Cùmque possidebunt etiam ipsi terram, quam Dominus Deus vester dat illis, revertimini in terram possessionis vestræ: possidebitisque eam, quam attribuit vobis Moyses servus Domini cis Jordanem, versus ortum solis. — 16. Responderunt autem Josue, dicentes: Omne id quod nobis imperasti, faciemus: et quocumque nos miseris, ibimus. — 17. Omnino ut Moysi auscultavimus, sic auscultabimus tibi. Cæterum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moise. — 18. Quisquis rebellis fuerit ori tuo, neque auscultaverit verbis tuis in omni eo quod ipsi es præcepturus, occidatur. Cæterum esto fortis et firmus.

COMMENTARIUM.

POST MORTEM AUTEM MOYSIS SERVI DOMINI, DIXIT DOMINUS.— Hebræum habet ad verbum. Et fuit post mortem Moysis servi Domini; et ait Dominus ad Josuam. est enim in sacris litteris usitatum,

illiusce modi copulas in historiarum initis collocare, quibus illæ cum præcedentibus narrationibus continentur, atque hæreant. Sed quia id Hebræi suo quodam loquendi modo fa-

ciunt, recte interpretes, orationis facie mutata, illas omittunt conjunctiones. Symmachus igitur ista convertit his verbis: *Μετὰ δὲ τῆς εὐαγγελίας Μωσὴν δεύοντα Κυρίου, εἶπε ὁ Κύριος, etc.*, cumque nos sumus imitati, Mors Moysi descripta est in extremo Deuteronomii. Non est ergo hujus loci de eâ multis agere. Servus autem Domini appellatur hic Moses, non ut ab officiorum sedulitate laudetur modo, tanquam fidissimus Dei œconomus, sicut in Numeris; neque rursus κατὰ μακροβίαν, quâ ipsum Paulus Christo, filio Dei, servum postponit, sed propter imperii munus, cui, cum esset ille defunctus, vicarium succedere oportebat; ne, quod ipse etiamnum vivus Deum oraverat, populus absque duce, tanquam grex pastore carens, aberraret. Ceterum quanto temporis intervallo, post Moysi obitum, quæ hic narratur acciderint, nulla satis certa iniri posse ratio videtur. Talmudici quidem, qui sumunt, neque luctu, neque aliâ vehementiore perturbatione occupatum hominis animum, prophetico spiritu unquam afflari, definiunt hoc spatium diebus triginta: quot scilicet Moysi funus fleverunt Israelitæ. Quia enim post luctus illius narrationem, continuo memoratur, Josuam plenum fuisse spiritû prudentiæ, existimant illi, mox post eos parentales dies, Deum hæc ad istum verba fecisse, et hunc fuisse diem septimum mensis nisan, cum post triduum ipse esset populum transportaturus in Chananeam. Sed quod illi sumunt, ego certe non facillè ipsis concessero. Potest enim Deus quasvis nebulas ab eo animo discutere, quem divino suo spiritu vult informare, atque illustrare. Ad hoc, prudentiæ illo spiritu, cujus in Deuteronomio est mentio, non tandem post triginta dierum luctum, sed simul cum impositâ Moysi manu afflatus atque imbutus fuisse videtur Josua. Verisimilius ergo esse puto, simul atque Moses è vitâ discessisset, memorem Josuam verborum Dei, quæ nuper ad ipsum de nube in tabernaculo sacro fecerat; et simul spiritus illius celestis pulsus percitum, quem Moysi manu initiato collatum diximus; illi eod. nocte, toto animo, in cogitationem administrationis maximi illius, atque difficilissimi imperii incubuisse. Cumque aliæ atque aliæ difficultates hinc, illinc, ipsius menti observarentur, quæ ipsum quantumvis et Moysi, et Dei superioribus monitis benè animatum, perturbarent tamen, et subinde humanâ quâpiam diffidentia tantum non suspenderent, Deum maturrè hesitantem succurrise; atque hoc hortamento, novisque istis divini

sui auxilii promissis novos illi animos addidisse; itaque illum in spem certam rursus erectum speculatores emisisse, quantumvis nondum eluxisset Moysen, deinde ullius rei expectatione otium esset diutius in campis moabiticis terendum; sed Pascha, ejus anniversarius dies propè aberat, in promissâ posset terra ritè celebrari. Sed erit de his agendum pluribus, ad versiculum 11. Porrò cum nihil in sacris literis occurrat frequentius, quam Deum hæc, illa, ad mortales loqui; neque credibile sit, cum verba, quæ in audiendi sensum incurrerent, toties fecisse; non fuerit fortassè à proposito alienum de eâ re, quoad ejus fieri potest, paucis hoc loco semel disserere. Plerique omnes et nostri, et Hebraei, censent, duos fuisse fere modos, quibus suam Deus voluntatem, atque consilium vatiibus suis soleret patefacere: visiones et somnia, præter peculiarem illum quo se propitius atque claris uni Moysi exhibuit; eosque modos in Numeris esse ostensis his verbis: « Agite, audite verba mea. Si fuerit propheta vester, ego Dominus per visionem me ipsi cognoscendum exhibebo: per somnium loquar cum ipso. Non ita servus meus Moses, qui in totâ domo meâ fidus est: ore ad os loquar cum ipso, specieque iste et quidem non per ænigma, atque figuram, Domini videlicet. » Sed nisi fallor, definit quidem illic Deus eas rationes, quibus solet suos vates affari; verum simul, etiam sui cognoscendi modos diversos ostendit, quorum alius alio sit perfectior; dicitque se cum cæteris quidem vatiibus, interdum vigilantibus, interdum dormientibus agere: verum illis nunquam nisi obscuram quandam sui visionem representare: veluti cum speciem humanam, aut etiam augustiorem illorum obiecti oculis, aut aliud simulacrum menti ipsorum secundum quietem exhibet. At Moysen se multo propius affari, ut cui ipsam etiam divinitatis speciem; multo perfectiùs quam per illius modi ænigmata, hoc est, quam per incerta illa, et obscura simulacra, ostendat. Etsi enim apud omnes in confesso est, nullam, ne mente quidem, fingi posse, nedum existere Dei figuram, tamen exiguus ille gloriæ, majestatisque splendor, quem Moysen cernere tunc patebatur, cum ipsi sua posteriora ostenderet, quodam modo forma Dei poterat dici, quantumvis ἀσχητόν; esset, præ illis obscurissimis visis, quæ cæteris vatiibus sunt patefacta. Quod autem ad propositum atinet, quando eosdem illos duos modos, quibus diximus omnia vatiibus, quæ opus sit, à Deo significari; Jeremias etiam ex-

pressisse videtur, cum falsorum prophetarum improbitatem perstringens, inter alia ait: *Propheta apud quem est somnium, narret somnium, et apud quem est verbum meum, narret verbum meum verè; quid palea cum ipso frumento, dicit Dominus?* Perspicuum est, nihil aliud esse verbum, quo passim Deus suos vates alloqui memoratur, quam eum instinctum afflatumque celestem, quem visionem et insomnium ipse appellat in Numeris; dum earum rerum notionem atque intelligentiâ, quas res vates suos præsentire, atque etiam enuntiare aliis vult, sic eorum animos informat, ut ipsas veluti coram aut cernere, aut audire sibi mentis sensu videantur. Id autem cum vigilantibus evenit, tum visio ferè, atque verbum Domini appellatur; interdum etiam, manus Domini; at quando secundum quietem, tum sæpius somnium. Atque ab hujusmodi mentis sensu illi, וַיִּרְאֶה, hoc est, videntes dicti sunt, similiter atque וַיִּשְׁמָע, id est, propheta, ab eloquendo enuntiandoque illa visa apud homines. Hæc igitur ratione Isaias, Dominum esse locutum, ait, quæ se vidisse de Judâ et de Jerusalem paulò ante dixerat. Et Jeremias falsos vates clamantem cordis sui visionem loqui, quam non acceptant ex ore Domini, hoc est, quia ille mentem ipsorum non imbuerat, sed quam sibi fixerant ipsi. His consentanea sunt quæ de voce Dei D. Basilii scripta reliquit, commentario in Psalmum 28: « Est, inquit, vox Dei generis ab iis vocibus, quæ in audiendi sensum cadunt. » Fit enim, cum mens hominum, quos illesum percipere vocem vult, visione quâdam informatur, haud ferè aliter, atque in somniis accidit. Nam ut in his, secundum quietem, animus noster quorundam veluti verborum memoriâ imbutur, non pulso aere externo, neque voce ullâ in audiendi sensum illapsâ, sed ipsâ mente notis quibusdam rerum signatâ informataque, talem existimandum est Dei esse vocem, quam audire memorantur Prophetae. Sed ut dilucidius etiam ista explicata semel sint, adscribam, quæ de ipsi vir perspicacis ingenii Moses Maymonius Africanus scripsit in eo commentario, cui titulum fecit, דברי משה, hoc est, doctorum perplexorum. Non enim esse puto in vulgus pervulgata. Igitur ille, cum parte primâ ejus operis sui dixisset, id omne vel loqui, vel dicere, quod Deo in sacris literis attribuitur, nihil aliud significare, quam vel ipsum Dei consilium, voluntatemve, vel notionem rei cuiuspiam, quâ à Deo mens humana informatur, sive illa generetur voce à Deo

creatâ, quales fuere voces quæ apud montem Sineum, et alibi audiebantur, sive iis modis quibus propheta fieri solet, sine ullo vocis sensu scilicet. Effici enim prophetiam, cum vis quædam à Deo, per intellectum, quem agentem appellant, inluit in eam animæ facultatem, quam λογικήν, hoc est, rationalem, sive mentem, vocant; et inde transmittitur in alteram, quam nominant αἰσθητικήν, hoc est, ut sic dicam, imaginativam. Hæc, inquam, et his similia plura cum dixisset Maymonius in primâ sui libri parte, scribit deinceps in secundâ, in hæc sententiam: « Scito, de quocunque scriptum est in sacris libris, angelum eum ipso locutum esse, aut verba à Deo ad ipsum esse facta, illud perpetuò per administrum angelum esse factum, et quidem vel per insomnium, vel per visionem propheticam. Solent autem Propheta quatuor fere modis diversis verba esse ad se facta memorare. Nam aut discretè dicunt, angelum, sive per insomnium, sive per visionem sibi esse locutum, aut angeli quidem, sed nullam vel insomni vel visionis mentionem faciunt: quippe statuum, hoc in confesso esse nisi alterutro eorum modorum, verba angelum non fecisse. Rursus est, ubi Deum se esse affatum dicunt, vel per visionem, vel per somnium, sed de angelo verbum nullum. Postremo, sæpè aiunt, hæc, illa Deum ad se esse locutum; sed neque angeli, neque visionis, neque somni meminere; certi scilicet, prophetiâ neminem, nisi per angelum, et quidem vel visione, vel insomnio affari posse. Primi modi exemplum est Gen. 31, 11: *Et dixit ad me angelus Domini per insomnium*; Jacob secundi Gen. 22, 15: *Et clamabat angelus Domini ad Abraham secundo, de celo*. Tertii Gen. 13, 1: *Factum est verbum Domini ad Abraham per visionem*. Quarti Gen. 12, 1: *Et dixit Dominus ad Abraham. Et dixit Dominus ad Jacob, ad Josuam, ad Cedeonem*, quocumodi sunt in sacris literis creberrima. Quocumque verò horum modorum memoratur verba esse à Deo facta, certum est ea prophetiam fuisse, eumque, ad quem facta scribuntur, prophetam. Atqui si dicatur Deus ad quempiam venisse per somnium nocte, prorsus neque illic prophetia fuit, neque propheta; sed monitio modo, quâ hominem Deus illum admoneri voluit per insomnium. Exempla exstant de Laban et de Abimelech, quorum ille impius, hic etsi inter suos populares probus, minime tamen propheta fuit. Quapropter accuratè est observanda rentia inter illiusmodi enuntiata: *Veni*

nas, et, dicit Dominus, per somnium nocturnam, et, per visionem nocturnam. Et sanè Chaldaeus interpres Oueclus illorum alterum reddidit: *Apparuit Dominus*; alterum: *Venit verbum à Domino*. Quin nonnunquam scribitur: *Dixit Dominus huic, illi*; quibus hominibus non est oculus Dominus, et quorum mentes nullà sunt prophetica intelligentià informatæ à Domino, sed quibus Dei voluntas ab alioquopiam vate est nuntiata. Ilac Maymonius, et multò plura, quæ persequi non est necesse. Censet autem ille non pertinere ista ad Mozen, ut explicatè scripsit commentariis in caput 10 *בספר יהושע*, dum tractat septimum legis fundamentum. Deus enim, inquit, cum solo vatum omnium Mose absque administro angelo, et sine somnio, visioneque locutus est. Idque R. Joseph Alphus, vir sanè doctus explanavit ad hunc modum. Sic, inquit, *collocutus est Deus cum Mose de rebus, ut earum cognitione animam ipsius, quam vocamus rationalem, absque ullà phantasià medià imbueret*; similiter atque cum ipsis angelis scilicet. Hoc enim illud est: *Ore ad os loquar cum ipso, etc.*, Num. 12, 8. Nostri theologi hanc appellant visionem intellectualem, et Mosi atque etiam Davidi attribuant. Illam autem quæ per mediam phantasiam efficitur, vocant imaginariam visionem, quam prophetarum propriam esse, ceterisque vatribus omnibus communem fuisse dicunt. Sed ista sunt alterius loci.

Igitur, ut ad id revertamur, à quo paululum divertimus, sic locutus est ad Josuam Dominus, ut earum rerum, quæ verbis hic scriptis significantur, informatione illius modi mentem Josue imbueret, cujus modi concipere animo ille potuisset, si articulatim et disertè omnia ea verba fuissent clarà voce coram ipso pronuntiata; imò verò infinitis partibus evidentiore. Nam id pro certissimo statuendum est, cum à Deo in vatum, sive vigilantium, sive dormientium animis aliarum rerum notionem signantur, sive eæ res jam tum evenerunt, sive longo post tempore futuræ sunt; tum earum rerum speciem *καὶ φαντασίαν* multò clariorem illis representari, quam si vel perspicacissimis oculis, coram, res illas cernerent. Neque verò id modo, sed simul quandam veritatis evidentiam ita mentibus illorum offerri, itaque penitus affici, ut intelligant, eam notionem esse reverà divinam: non autem à suæ ipsorum animæ imaginativæ, ut sic dicam, facultate, motuque naturali formatam effectamque, nec etiam à malo quopiam genio inditam. Neque enim alioqui unquam satis ipsi

sibi prophetæ fidere, nedum justà fidentia, quæ divinus afflatus instinctusque dictasset, propalam enuntiare possent. Nunc verò videmus ipsos tam firmà animi confisione cuncta, quamvis principibus et populo ingrattissima, edicere, ut dubitare nemo possit, quod consilii sibi ipsi sint, se in Dei consilio adfuisse, ut loquitur Jeremias, atque vidisse et audisse sermones divinos, non fallaces. Idem existimandum est de visis sacris, suas ea scilicet habere peculiare notas, quibus discerni à larvis, falsisque spectris queant. Sed ista non sunt hujus loci. Nunc enim, ut rem omnem in pauca conferamus, satis est tenere, hoc esse, Deum verba de aliquibus rebus ad Josuam, aut alium quemvis vatem facere; ipsorum mentem earum rerum notionibus ita informare, ut non solum res ipsas, tanquam presentes, oculisque objectas, animo cernant; sed simul intelligant, eam suæ mentis agitationem celestem esse; neque aliter affecti sint, quam si coram voce clarissimà loquentem secum Deum audirent. Quamquam fatendum est omnino, verba quædam divina audiendi etiam sensu percepta aliquandò ab hominibus esse. Quod Mosi frequentissimè concessum fuisse existimatum est, nescio quam probabiliter. Ego certè etiam hunc mente quam auribus divinos affatus audisse scriptis credibiliter dici posse putaverim. Porro quod Josua Mosi minister vocatur, id quoque ad presentem locum est accionem modatissimum. Rectè enim cum eo loquitur Deus, de suscipiendo imperii munere; quem Moses, compluribus jam annis, per familiarem consuetudinem, ad ejus administrationem, omnibus necessariis præceptis erudierat. Sed observandum est, eum non vocari servum Mosi, sed ministrum. Neque enim vir inter suos tribules primarius servitatem Mosi servierat, sed eum officiosè comitatus, observaverat. Unde à Septuag. interpretibus nunc *δουρρε*, alibi *δουρρε*, semel atque iterùm *παρεστηκός* pro vocabulo, *בשרת*, redditum est. Ilac eò moneo, ne quis Mosi exemplo, cum servitiis reipub. consilia communicanda putet, quæ prudentissimi homines existimant; his clam haberi debere. *Servus enim*, inquit Christus, *nescit quid faciat dominus ipsius*.

VERS. 2. — MOSES SERVUS MEUS MORTUUS EST, etc., et Moses, inquit, qui adhuc imperator populi mei fuit, et dux, atque in eo munere fidam, et mihi gratam operam navavit, ut pro meo ipsam servo frugi habere non dedigner, is defunctus est, et proinde

respub. duce orba est; quare age tu, quem dudum illi successorem designavi, et solemnè in ritu consecravi etiam; atque insuper spiritu sapientiæ auxi; trajicito hoc flumen Jordanem, et multitudinem istam universam tecum traducito in Chananaeam. Ego enim, cujus est omnis terra, et quidquid à terrâ sustinetur; cujus est universus orbis, cum suis habitatoribus; ego qui moderor imperiis hominum, et quibus volo ea do; terram istam jam nunc illorum esse jubeo, qui, cum sint ex Israele prognati, hæredes sunt mearum veterum promissionum, quas præcæ tandi jam tempus adest, etc.

Admirabilis profectò hic apparet Dei erga miseros mortales benignitas, *καὶ φιλανθρωπία*, qui ipsos pro suis servis habere non dedignatur, quamvis, ut omnia præstiterint quæ jussi sunt, servorum tamen nomen mereri nunquam possunt. Neque enim ullis Dei utilitibus servire queunt. Sed quis est omnium, qui usquequaque mandatis Dei obtemperat? Certè Mozen id non fecisse constat, quem suum peccatum à Chananaea exclusit. Plurimum ergo Josue animus, cæteroque difficultate rei fluctuans, hoc dicto confirmari debuit, cum intellexeret ille, sperare se posse, ut Mosis, ita suam operam, etiam si tanto muneri longè impar foret, tamen Deo, pro ipsius benignissimà indulgentià, acceptam fore. Particula illa *וְעַתָּה*, quam interpretatus sum, *jam ergo*, crebra est apud Hebræos, significatque plerumque, non tam præsens tempus, quam rei, quæ narratur, consequentiam, *καὶ ἀκολουθίαν*; ut Genesis capite 3: *וְעַתָּה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל מַמְנוּ*; *itaque ne extendat mamam suam*; rursum cap. 4: *וְעַתָּה אֲדָרְאֵיךָ*, *Jam ergo maledictus es*. Et cap. 21: *לֵי יִרְעֶינָה דְשָׁבְעָה*, *itaque jurato mihi*. Quin in hujusve modi enuntiatis, in quibus verbo modi mandativi jungitur, simul vim quandam urgentem et maturantem habet. Exempla ubique obvia sunt.

Igitur quod ad presentem locum attinet, Deus ex illà sumptione, quæ Mozen vitæ excessisse dixerat, quodam modo concludit, atque etiam urget Josuam, ut maturet capessere verbum imperatore orbem. Quin ipsum etiam verbum, *surge*, hortandi potius adverbium esse videtur sæpè, quam ad erectum corporis habitum spectare, ac si dicas: Eia, age; eamque ob rem fortassis hoc loco nulla copula est, nisi si *ὁ ἀσθενέτω* celeritatem et festinationem significare, mavis existimare.

Jordanis fluvius, evangelicè etiam historia nobilis, in Libani radicibus oritur; et quidem,

ut plexusque scriptoribus placet, fonte gemino, dextro Dan, sinistro Jor, ut ita ex junctis istorum nominibus, sicut et confluentibus aquis fiat Jordanis. Sed Talmudici, cum aliis in locis, tum ubi de secundis decimis rei pecuarie tractant, aliam ejus appellationis tradunt rationem. Sic enim enodant Jordanis nomen, quasi *יַרְדֵּן* significet, *יַרְדֵּן כַּרְךְ*, ac si dicas: *Descendens è Dan*. Nam oppidum Dan, quod antiquitus Lais et Lesem dicebatur, apud Panium exstabat, hoc est, præcipuum Jordanis fontem, ut Plinius est opinatus, quamquam Josephus ex ipsâ usque Trachonitide primam Jordanis originem repetat, è lacu quodam rotundo, quem Phialam vocant à figurâ. Inde enim terrâ conditas aquas ad Panium antrum, præpè Dan, hoc est, Philippi Cæsarem, ferri; atque ille demùm per scatebras erumpere in locum. Cui certè rei argumento esse videtur ipsa etiam illius lacus appellatio, quod ab illis, qui loca ea perlustrarunt, accepimus: aiunt enim vulgò vocari, Maïdan, hoc enim est, ac si, aquas Dan, dicas. Porro ubi ex Paneade ad millia passuum circiter 15 profuxit Jordanis ad austrum versùs, diffunditur in locum palustrem, quem *Samechontia* nostri, sed *Sachontin* Talmudici, si exemplaria non sunt mendosa, vocant. Ibi que ita restagnat, præsertim quo tempore nives in vicinis montibus solvuntur, ut paludem putes; sed hoc stagnum, crescente ætatis calore, præpè universum siccatur, et densâ fraticum materie obsitum, feras nutrit, atque occultat, ab hoc deinde loco longius etiam emens spatium, excipitur à lacu Genesara, quod nomen ab hebræo *גֵּנְסָרָא* factum esse arbitror, de cujus lacus amplitudine et fertilissimâ amoenitate non est nunc dicendi locus. Post Genesaram haud longè progressus, recipit venientem à sinistris Galaaditidis montibus torrentem Jaboc, Jacobi historia nobilitatum. Tandem verò in mare Mortuum, sive lacum Asphaltiten receptus, laudatas suas aquas cum bituminatis, et pestilentibus, ut ait Plinius, miscet: atque ab his ita impeditur, ut fluere desinat. Sed plura de Jordane si quis requirit, legat Plinium libro 5, cap. 10, et Josephum de Bello judaico lib. 3, cap. 18. Pronomen demonstrationis, *istum*, propinquitatem fluminis ostendit: præpè enim aberat à castris, quæ ad Sittim facta fuerunt: quod capite proximo explicabimus. Quamquam si quis illud *וַי*, esse emphaticum, non demonstrativum, existimare malit, non pugnvero contra. Septuagista sanè

ut penè supervacaneum, non reddiderunt. Sequitur in ordine sacrorum verborum: *Tu et omnia populus iste*. Eadem facere jubetur imperator qua parentes; sed primo loco, ut suo exemplo hortetur ceteros scilicet. Quippe boni imperatoris est, non vite commodis, sed prudentiâ, fortitudine, aliis virtutibus antecedere subjectos. Iniquè enim postulet eos sibi parere, quibus nihil ipse sit ad rectè consulendum melior. Rursusque mollis, ignavi, impudentis animi fuerit, ea imperare ceteris, quæ ipse vel aggressi, vel perferre non sustineat.

Cæterum nota illa universitatis, *Omnis*, commode accipienda est. Non enim debent illi etiam trajicere, quibus citra flumen in Galaaditide considerare permisit nuper Moses, præter paucos, qui fratribus suis transeuntibus opem ferant, ut versu 12 audiemus, nisi si quis putet demonstrativum, *iste*, eos modò ostendere, qui in castris præsentés erant; duas verò tribus et dimidiam adornandis possessionibus, quas paulò ante acceperant, occupatas abfuisse.

In terram quam ego do ipsis filiis Israel. Pro-nomen *ego* emphasin habet. Nemo enim, præter unum Deum, nisi violatâ justitiâ, potuit ereptam veteribus possessoribus regionem donare novis. Hic enim, cum sit totius mundi effector et dominus, sic suas cuique genti sedes in terris attribuit, ut eas præcario quidem possideant, si donantem illum spectes; ceteroqui verò prorsus ut legitimi hæredes, obtinere eas, adversus externas injurias, debeant. Frustra ergo Manichæi, dum Chananeorum causam agunt, culpant Deum, qui præcarias possessiones flagitiosissimis et planè indignis clientibus beneficiariis suis ademit, easque suo populo donavit, cum debeant potius admirari, venerari, exosculari mirificam illius lenitatem et patientiam, qui annos plus quam quadringentos summâ suâ benignitate, illos, ut ad meliorem mentem redirent, invitaverat, cum interim ipsi eâ ejus lenitate contemptâ, quia ipsorum erat durus et obstinatus animus, per omne improbitatis genus perpetrarent sibi ejus supplicii causas cumulare, quod tandem sicuti Dei judicio dederunt. Sed divus Augustinus quodam sermone, ut hoc adidam, aliam offert à Patribus traditam, atque, ut ait, verissimam causam, cur, eliminatis Chananeis, justè Israelitis successisse existimandum sit. Nempe dùm orbem terrarum inter se partiuntur Noe filii tres, eam partem, quæ post Chananeæ est appellata, obvenisse Sem, atque ab hujus posteritate possessam diu, en-

tanque fuisse, tandem verò Chananeos, homines feroces et barbaros, quippe ex impio Cham prognatos, et insuper avi sui detestatione efferatos, sive coeli clementiâ, sive soli ubertate, sive suâ quâdam libidine incepti fuerint, per vim legitimos illos pepulisse possessores, sedesque tam felices occupasse: ac proinde nunc jure eas nepotibus Sem à Deo restitui. Nam Abrahamum ex Sem prognatum esse, docet sacra historia. Eadem ferè ab Epiphonio, scriptore optimo, sunt literis mandata; qui Melchisedechi regnum, quod in Salem is obtinebat, pro certissimo ejus rei adducit argumento, cum aut ipse esset Sem, aut ex Sem natus. Sanè istius vetustæ famæ, quam Augustinus à majoribus esse acceptam ait, habuerunt etiam Syri olim, ut apparet, magnam opinionem. Nam Jacobus Orrobaita, hoc est, Edessenus, qui nobilissimi apud eam gentem scriptoris Ephraimi præceptor fuit, scriptum reliquit, Noam ante diluvium, in eâ regione, quæ post Chananeæ est appellata, habitavisse, et eam suo filio Sem, post diluvium, hereditatis loco assignasse, ut memorat Moses Bar-Cepha, in opere de Paradiso, quod nos nuper latinum fecimus. Sed ut id non credatur, neque enim argumentis satis firmis probari potest, neque usquam ab Israelitis opponitur, quos tamen, juris æquitate, nulla præscriptio, propterea quòd vi fuissent olim de suâ illa possessione dimoti, dejectique à Chananeis, exclusisset, illud certè nemo, nisi impius, negaverit, mera liberalitatis esse, quiddam Deus largitur mortalibus: ac proinde neminem unquam, ne probissimum quidem, et qui planè secundum hujus voluntatem vivat, jure expostulare posse, si quid eorum quæ ab ipso accepit, amittat, nedùm improbos, et adversus eum contumaces, quales fuere multis modis Chananeis.

Est igitur illud, *Ego*, ac si dicat: Qui universæ terræ Dominus sum, qui rerum humanarum vices, pro æterno meo consilio, justissimâ ratione moderor. Ad hoc, præcipua in illo verbulo vis est excitandi, confirmandique Josuæ: continet enim in se præcipuos locos suasorios, ad præcedentemhortationem accom-modos, ab utili, à facili, ab honesto, à contrario malo. Neque enim potest non esse utilissimum atque optimum, quod ab optimo parente Deo nobis datur. Deinde, quid potest esse tam difficile, quod non faciliè consequamur atque obtineamus, si Deus ipse objiciat? Postremò, quod vel maximum est, quis non metu Dei, atque pudore percellatur, si quæ

bona ille tam planè offert, ea negligat et frustra elabi patiatur?

Observandum porro est, dandi verbum, tempore præsentis hoc loco positum esse, ut intelligamus ad summam improbitatem jam pervenisse Chananeorum scelera, quartumque esse exactum seculum, atque insuper annos quadraginta plectendis rebellibus in deserto consumptos, ac proinde adesse tempus, quo ea que olim Abrahamo, Isaco, Jacobo sunt promissa, præsentur: itaque jam nunc Deum, ut justissimum judicem, pronuntiare hoc verbulo, Israelitas esse Chananeæ dominos, prioribus verò incolis omne jus adimere atque eripere: ut hi posthæc non aliter in eâ terrâ, quàm in alieno solo habitare existimandi sint. Nam quòd non è vestigio ab omni prorsus possessione dimoventur, atque deiciuntur, Dei solo nutu, ejus rei gravissimæ sunt causæ. Dispensat enim ferè prudentissimus rerum moderator Deus, res mortalium, per humanas operas. Tum propensissimam ipsius benignitatem plurimum etiam ipsa Israelitarum ignavia, aut improbitas verius, impedièbat: ad hoc, non erat ex ipsorum re, ut subito universa regio, pulsis cultoribus, vasta, ferisque habitanda relinqueretur, cum ipsi totam nondum, præ suâ paucitate, possent occupatum ire. Verissimè enim est à Cyro superiore apud Xenophontem dictum, simul à bonis rebus omnibus regionem vacuum nudamque fieri, quæ ab hominibus vacua fit. Jam verò, quoties Abrahamo, Isaco, Jacobo hujus hereditatis spem fecit Deus, fecit autem sapè, verbo temporis futuri toties, ut usus. Non igitur nunc temerè præsentis temporis verbum esse scriptum puto, quantum Latinus id in futuri commutaverit, mirum ratus, dare pro tradere positum esse, ut proximo versiculo.

Quod in verborum sacrorum ordine sequitur, *ipsis filiis Israel*, hebraismus est; dum *ישראלים*; ea nomina in oratione adduntur, quæ aliqui per posita ante, ipsorum loco, pronomina satis expressa videri poterant; qualis est illa quoque in Exodo, 2, 6, phrasis: *Et vidit ipsum, puerum*, in quo loquendi genere vulgus solet apud Latinos addere particulam, *scilicet*. Septuag. interpretes, ut supervacaneum, non reddiderunt illud; sed non est profectò hic otiosa Israelis mentio. Disertissimè enim tum hanc illis promittebat Deus terram, cum Jacobo Israelis nomen imponeret; his enim utebatur verbis Gen. 28, 10: *Nomen tuum est Jacob: non vocaberis posthæc*

nomen Jacob, sed Israel erit tibi nomen; inditudoque ipsi nomen, Israel. Et ait ad ipsum Deus: *Ego Deus fortis pollebensque, cresce et au-gesce; gens et cæcus gentium ex te nascetur: regesque ex tuis tibiis peribunt, et terram quam promisi Abrahe, et Isaac, eam tibi dabo, et semini tuo post te dabo eam terram*, etc. Apposita igitur filios Israelis eos vocat, cum jam illa promissa ad rem confert.

Sed posset hic moveri questio: fuerintne duo illa regna, Og et Schonis, quæ duabus tribubus et dimidiâ nuper eis Jordanem donata à Mose sunt, pars terræ promissæ? quando hæc, ut apparet, trans Jordanem nunc demum peti jubetur. Verùm eâ de re erit alius dicendi locus aptior. Interim hic illud tenere satis sit, præcipuas Chananeæ sobolis sedes trans Jordanem positas fuisse, atque ejus terræ partis rationem maximam fuisse habendam, quam legitimo suo cultui primùm dicari, et in quâ dcinde salutare dispensationis filii sui Jesu Christi mysterium olim peragi Deos volebat. Cæterum diximus Josuam sive Jesum, nobis adumbrasse Jesum Christum. Et typo pulchrè profectò subserviunt verba horum duorum, quæ jam explicavimus, versuum, si analogicè accipiantur. Post mortem enim Moisis, hoc est, post finem legis mosaicæ, quo Deo, ut filiorum pedagogus, servierat, missus est à Deo Patre Josua, sive Jesus Christus, minister Moisis. Fuit enim ille minister circum-cisionis, propter veritatem Dei, ut rata ea faceret, quæ majoribus fuerant à Deo promissa, Rom. 15, 8; fuit etiam Moisis legi obediens, ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret, atque per adoptionem in filiorum libertatem vindicaret. Galat. 4, 4. Missus, inquam, est Jesus Christus, ut eos, quos Moses per loca vasta, in via, sterilia oberrantes adhuc circumduxerat, nec ad promissam quiverat hereditatem introducere, hoc est, qui in horridâ, difficili, et sterili lege, atque umbrâ futurorum honorum adhuc versati, ad ipsam rerum perfectam representationem pertingere non poterant; co ipse per Jordanem, id est, baptismum, quo virtute sanguinis illius expliamur, et sacrosanctis æternæ hereditatis mysteriis initiatur, duccret in terram semini Abrahamæ promissam, ubi rebus ipsis, non rerum umbris potirentur, fruenterique. Baptismus enim non obscurè significari per Jordanem, quis ex historia Christi et Joannis non intelligit? Sed hæc lacteus. Nobis enim constitutum est, pro nostrâ mediocritate, ipsa sacri hujus commen-

tari verba potissimum explicare, eaque sensa patefacere, quæ ad historiam rerum gestarum pertinent. Ipsas verò anagogas et mysticos sensus, non nisi parcissime attingere, sed illis prolixius persequendos relinquere, qui et majoribus ingenii luminibus à Deo præditi, et in illiusce generis interpretatione, pro concionibus dicendo exercitati sunt; præsertim cum videamus copiosè hoc ab Adamantio esse præsitum, quo viro, nescio an post natum Christum vixerit quisquam vel ingenio majore, vel in sacris litteris exercitatore.

VERS. 3. — **OMNEM LOCUM QUEM CALCABIT PLANTA**, etc. Poterat quidem, ac debebat etiam Josua illo solo Dei verbo, *ego do*, contentus, certissimè cum fiducia quod jussus erat aggredi, atque in terram hostilem audacter cum omni populo trajicere; fretus ejus auctoritate, cuius nemo ineluctabili potest voluntati obistere, sed profectò haud facillè humanus animus absolutam illam Dei, ut sic dicam, omnipotentiam capiti. Et ut per fidem in eam tandem aliquando acquiescat, ac, quod Apostolus de Abrahamo memorat, fide contra fidem credat, tamen vix fit, ut secum non disceperet ipse, atque luctetur, dum rerum propositarum difficultatem, et, ut sibi videntur, *adversariis* apud se expendit, utque modos saltem rationesque, quibus illæ confiteri possint, aut alia adminicula, pro fide illà sui confirmanda, non requirat. Est enim ejus rei illustre nobis exemplum propositum in eo, quem modò dicebam, Abrahamo. Ejus enim fidei vigor, mirificus sanè, vix tandem post iteratum Dei promissum, potuit obstacula gignendi ex Sarà filii prorsus pererrare. Præclarissimum etiam alterum in ipsa diva virgine Mariâ, quam non credidisse verbis Angeli, præsertim suavissimo nuntio divinæ gratiæ apud animum suum confirmatam, existimare nefas sit. Et tamen exquirat, qui possit fieri, quod nulla, nisi Dei potentia, effici posse intelligebat.

Igitur ne quid titubet Josue animus, succurrit Deus ultro: et quod implicite atque absconditè illis verbis, *ego do*, significarat, id jam patentibus atque explicatis proximis istis ad decimum usque versiculis prosequitur. Nam quod ait: *Omnem locum quem calcabit, etc.*, est ac si dicat: Ego non solum jure omni vestram esse volo eam terram, in quam vos jure trajicere, verùm etiam omnia que vobis possessum illam euntibus obistere possint, ea ita comparabo, ut in quamcumque illius partem pedes intuleritis, ea pars in vestram potestatem facillè, dittonemque sit concessura.

Est ergo ista hortatio à facili, idque versiculo quinto explicabitur apertius.

Verbum igitur, *dedi*, commodè hic pro tradere, sive dedere, accipiatur, interpretaturque per futurum tempus, sicut factum à latino est. Quamquam nihil absurdum sit ejus propriè ratione explicare, absque temporis enallage propter factam nuper, ut diximus, donationem. Nam quòd Moses in Deuteronomio, dum hæc ipsa commemorat, verbo temporis futuri utitur (ait enim: *Omnis locus, etc., vester erit*), id facere ille debet, ut qui non rem vel presentem, vel præteritam, sed futuram prædicat. Sed enim objiciat aliquis hic nobis ipsum rei eventum, parùm, ut videtur, Dei istis promissis respondentem. Ad Hai enim primùm Israëlita fugati, pars etiam cæsi sunt. Deinde ex Judicum historìa certè sumus, hostes non solum ubique eliminari non potuisse, sed etiam ipsum populum Israëliticum ab illis aliquando in angustiis redactum esse. Atqui Deus in hisce pollicitis de pacto agit. Receperant enim Israëlita, observare omnia, que ille latè lege mandarat; hoc ergo cum ipsi parùm plene atque probè præstent, haud mirum est, cum felicem rerum successum, quem Deus cum sæpè alibi, tum etiam hoc loco promittit, non perpetuo tenore pro illorum votis fluere, sed subinde magnis calamitatibus, pro maximis ipsorum flagitiis, inturbari.

Non pendunt quidem, fateor, Dei promissa ex hominum actionibus, quasi causis necessariis; quid enim summam rerum omnium atque immobilem causam impellat? sed tamen posita sunt sæpè illa in certâ quâdam ratione, quâ secundum divinam illius voluntatem procedant, quam voluntatem etiam ipsa cœlestis doctrina nobis plerumque patefacit. Eoque fit, ut si sponte nostrâ eam nos rationem non sequamur, frustra, quoad nos certè sint illa promissa, quamquam hoc interim tenendum est, nunquam prorsus irritam reddi consilium Dei posse, per hominum vitiositatem. Quippe illi nunquam deest ratio ex mediis tenebris lucem produendi. Cæterum quod de pacto, et conditione, sive de certâ procedendi ratione jam dixi, cum ex iis etiam que proximis versibus de observandâ universâ lege memorantur, tum apertè conficitur ex illis dictis, que Moses cœlesti instinctu pronuntiavit in Deuteronomio. hæc pertinentia. Sunt enim ea ipsa, que præsens versiculus citat, cum habet: *Sicut locutus sum ad Moysen*. Itaque hæc appendicula, ipsas dandi conditiones tacitè obscurè-

que continet; quod etiam Theodoretus sensit. Sic enim illic, veluti Dei ore, loquitur Moses: *Nam si accuratè observaveritis omne hoc, quod ego vobis mando: ut ametis Dominum Deum vestrum, eisque per omnes vias ipsius, atque ipsi adhareatis, exterminabit Dominus omnes gentes istas extra vestrum conspectum: vosque occupabit possessiones earum nationum, que majores fortioresque vobis sunt. Omnis locus in quo figetur planta pedis vestri, vester erit; à deserto et Libano; à flumine, flumine, inquam, Euphrate, usque ad mare ultimum, pertinebunt fines vestri. Non consistet quisquam coram facie vestrà; terrorem metumque vestri incutiet Dominus Deus vester universæ terræ, per quam ituri estis: sicut ad vos locutus est. En ego propono vobis hodiè benedictionem et maledictionem: benedictionem quidem, si obediveritis mandatis Domini Dei vestri, que vobis hodiè impero. Maledictionem verò, si non paraveritis præceptis Domini Dei vestri, sed desciveritis à viendâ ratione quam ego vobis hodiè præscribo, atque sequamini alienos et ignotos vobis deos, etc.* Quis ex his non intelligit, illa tanta Dei beneficia ex mutuis populi officiis pendere? Sed plura de his in explicando versu proximo dicenda erunt. Est verò ex his etiam illud perspicuum, cur Deus hic Moysen potius quam Abrahamum laudet, cui primò hæc promissa fecerat et veluti solemni federe percusso, sanciverat etiam circumcisionis cæremonia, mutuum ab illo quoque stipulatus, ut vitam probam coram se viveret. Nimirum quia ipsisimè illis verbis Moysen ipse affatus fuerat, et Moses populum, quibus hic Josuam alloquitur. Huc addi potest et illud, quòd recens Moysi memoria Josuæ gratissima, et intima cum Deo familiaritas, eidem multis modis perspectissima, auctoritatem multò gravissimam, apud ipsum, iis oraculis que à Mose prodita dicebantur, conciliare debebant: animumque ejus concitare ac permovere magis, quam si vetera illa apud Abrahamum, Isaacum, Jacobum denique acta commemorarentur, que per aliquot seculorum intervallum obsolevisse, et reipsa refutata esse poterant videri, nisi apud Moysen, in tam familiari cum Deo consuetudine renovata fuissent.

In vetustis commentariis, que vocantur *ἸΕΔ*, scripta in Exodum et Numeros, quorum auctor est R. Simeon, Johai filius, qui et librum Zohar in Pentateuchum scripsit, paulò post eversam à Tito urbem Jerusalem; in iis, inquam, commentariis, post multam disceptionem Talmudicorum, qui illic citantur,

de veritate istius enuntiationis: *Omnem locum quem calcabit, etc.*, tandem statuitur, ita demùm permixtum hic esse Israëlitis à Deo, ut quasvis regiones occupatum irent, atque sub suam ditionem subjungerent, si universam Chanaanem, quàm latè proximo versu describitur, ante suo imperio occupassent. Et proinde David apertè ab illis accusatur, quasi legem hanc violarit, cum Mesopotamiam et Syriam Zoba debellaret, Jebuzais etiam tum intra Jerusalem, atque propè apud ipsam regiam, habitantibus. Sic ferè Talmudici illi, cæci, stupidi, hardi profectò homines, qui non intelligebant, universalitatem istam, *Omnem locum*, in proximo versiculo certis definitam esse terminis; sed excecati sunt miseri, postquam solem justitiæ ab se amoliti sunt, usque adeò ut neque oculis, neque auribus percipere, animoque intelligere queant quod rectum probumque est, atque verum. Et indigna profectò essent ipsorum dicta peraque omnia que proferrentur, nisi et illiustriorem redderent evangelicæ veritatis gratiam, majestatemque tam tenebrosæ atque insulsiæ nugæ, et desipientium hominum ridicula somnia, in apertam lucem protracta: et simul quonia Judicæ superstitionis doctrinam re atque existimatione condemnarent, ac ludibrio exponerent. Quamquam fatendum est, esse etiam apud ejus gentis scriptores nonnulla, que utiliter nostris hominibus exponantur; partim quia nostræ religionis dogmata affirmant; alia quia sacræ Scripture verba rectè interpretantur; quod etiam Thomas, Lyranus, Porchetus, Burgensis, Raimundus, Niebelsis, alii ammadverterunt, et suis scriptis prodiderunt.

VERS. 4. — **À DESERTO ET ESQUE AD LIBANUM ISTUM, ET ESQUE AD FLEMEN, etc.** Definit hic Deus universam Israelitarum hereditatem, rudi modo, à tribus cœli regionibus. Desertum enim, quod quæ Sin, quæ Cades vocabatur, hodiè autem vulgò Al-Hiset dicitur, positum erat à meridie, Libanus verò, et longè ultra Libanum Euphrates, partem septentrionalem determinabant. Mare magnum, hoc est, Mediterraneum, claudebat occidentem (huic idèò magni cognomen attribuitur, quia lacubus et paludibus, que apud eam gentem etiam maria vocantur, majus est). Ab oriente erat Jordanis, sed hic jam non nominatur, quia ab eo fines isti à Deo ostenduntur Josuæ. Pertinebant enim castra, que in campis moabiticis fecerant, propè ad Jordanem, è regione Jerichuntis.

Cæterum illud, *omnis terra Hebræorum*, non

designat terrenum aliud extra istos fines; sed ideo, nisi fallor conjecturâ, provincia Hethæorum, singularis mentio fit à Deo, quia de eâ expugnandâ, quàm de aliis Chananaeae partibus diffidere magis potuere Israelitæ ut in quâ Ænacinus gigantes mole homines conspexerant speculatores Mosis, eorumque fama extremo pavore universam populum percellerat, et propemodum ad repetendam Ægyptum redegerat. Hethæos enim ea loca, quæ circa Ber-Sabeam sunt, quæque sursum porriguntur, et latè circum Hebronem jacent, incoluisse, cum historia empte speluncæ dupliciter, tum Rebecce ad maritum verba, quibus amandandi filii sui Jacobi magnam rationem pretendebat, atque etiam nuptiæ Esau clarè ostendunt. Ne igitur ulla imperatoris animum difficultas perturbet, aut etiam populi, cum è vestigio sit in Chananaeam trahendum, addit Deus explicatè, ea etiam loca redactum iri in potestatem Israelitarum, cum primum illic pedes intulerint, quæ præ cæteris inexpugnabilia visa fuerant: nimirum quæ ab Hethæis tenebantur, gente omnium Chananaeorum bellicosissima. Fuisse enim Hethæos viros bellicosos, satis magno argumento est Syrorum trepidatio, cum eos à rege Israelitarum adversis se conductos esse suspicarentur, ut in Regum historiâ memoratur. Si quis tamen existimare malit, Hethæorum nomen postum hoc loco esse, præ omnibus septem gentibus, quæ capite tertio enumerantur, hoc est, ut terra Hethæorum, sit universa Chananaea, sicut alibi omnes Chananaei vocantur Amorriæsi, alibi alio uno nomine ex septem gentium nominibus synecdochicè, haud ille fortassis à vero aberrat; nobis tamen prior illa sententia visa est ad verè similitudinem esse propensior. Ad nomen Libanum accommodavi, *לְבָנוֹן*, ut loquantur grammatici, particulam *לְבָנוֹן*, quæ mox sequitur, quod ea mihi sententia aptior videretur, et aliqui non nescirem, litteram *לְבָנוֹן*, sæpè etiam præpositam locorum nominibus vice præpositionis ad fungi, quamquam postpositam sæpius. Sed ne absurdam videar constructionem commentus esse, ostendam planè geminam, in Regum historiâ, in istis verbis: *כִּי יִרְדּוּ אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים וְגוֹל כְּרִיתִים*. Est enim istorum verborum sententia, Salomonem esse dominatum à flumine Euphrate, usque ad regionem Philistinorum, et usque ad Ægyptum. Cæteram demonstrativum, *istum*, ut nuper dicebamus, sic accipi potest, ut *לְבָנוֹן*, et præstantiam montis Libani significet, quan-

quàm est credibile ex campis moabiticis eum, ut est abissinus, oculis cerni facillè potuisse, atque à loquente Deo demonstrari.

Septuag. pro Libano dixere Antilibanum, et alibi sæpè. Nec id mirum est, cum sint re ipsa unus mons, sed qui versùs mare Mediterrænam laxiore valle veluti dividitur. Plinius lib. 5, c. 20, utrumque describit his verbis: « A tergo, inquit, Sidonis mons Libanus orsus, mille quingentis stadiis Symyran usque porrigitur, quæ Coele-Syria cognominatur. Huic par, interjacente valle, mons adversus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus. » At Strabo, ut videtur, melius explicatùsque, lib. 16, Libanum apud Tripolim, et huic vicinum oppidum, quod *Πρωτόλεβανον*, vocant; Antilibanum verò apud Sidonem orsus describit. Porrò nominis *Libani* notatio thus significat, ut Hebræis, ita Græcis. Constat enim, Libanum, cedrorum, atque aliarum resinosarum feracem arborum esse: ex quibus credibile est, si non pretiosissimum illud Sabæum thus, cujus arboris faciem incognitam Romanis fuisse Plinius dixit lib. 12, c. 14; at thuris saltem speciem quamdam excipii. Nam idem Plinius lib. 14, c. 6, prodidit terebinthum quoque masculam in Syriâ thus producere, quod sanè Sabæo illi thuri, diversa arboris resinæ cognatum esse non potest, quam solam resinam thuris nomine dignatus est vates, cum caneret; « Solis est thurea virga Sabæis. » Euphrates etiam alibi flumen magnum appellatur in sacrâ historiâ: quo epitheto similiter Tigris insignitur à Daniele, fortasse quia ambo orti ex Paradiso, aliis fluvii præstantiores existimantur. Sed Euphrates non raro *נָהַר הָעֵזְרָא*, solius fluminis nomine significatur. Nam ei Tigris multis nominibus de præstantiâ concedere debet. Talmudici capite septimo de Juramentis, Euphratem magnum vocari fluvium statuunt, quia terram omnium præstantissimam, quam Israelitarum terram appellamus, terminat. Atqui è ratione Jordanis vel maximus dicitur meritiò. Illi autem ipsi auctores, in commentariis quæ vocant *מִשְׁנֵת תּוֹרָה*, non illis quidem, quæ à R. Mose Haddarsan, hoc est, concionatore, sunt conscripta; hæc enim, ut nostræ crebrè doctrinæ consentanea, videntur Judæi conspiratione quâdam suppressisse; sed in alteris, quæ R. Osias, nisi fallor, congestit, nomen *Phrat*, sic enodant, quasi à verbo *פָּרַח* formatum, fertilitatem significet, sanè non absurdè. Nam cæteras, quas illic tradunt notationes, ut ridiculas,

piget referre. Sed cur Græci Euphratem dicerent, quem Hebræi priores *נָהַר*, quasi Phratem dicas, appellabant, inde opinor evenisse, quòd in Genesi, ubi primum hoc nomen est à Mose proditum, vocula *εὐφρατικός*, quæ ferè sonat, *eo*, nominis præposita, ab eo qui primus in Græcam linguam Mosen convertebat, sit inscienter ipsi nomini adjuncta. Describit autem Euphratem geographus omnium diligentissimus Strabo lib. 11, his ferè verbis: « Est, inquit, Euphrates Trigide major, plusque terræ peragratur; ex iis Tauri partibus, quæ ad aquilonem vergunt, confragoso ortu promanans; unde ad occidentem versùs, per majorem quam vocant, Armeniam, fluit usque ad minorem; et hæc à dextris, Liscenâ verò à sinistris relictâ, intorquet se deinde ad meridie, simul atque Cappadociae montes attingit: quos montes, atque etiam Commagenes dextra, levâ verò Ascinsinen et Sophenen majoris Armeniae regiones præterlabens, proripit se in Syriam, rursùsque reflectitur versùs Babyloniam, Persicumque sinum. » Hæc Strabo de Euphratis ortu et cursu. Plura etiam Plinius lib. 5, cap. 24; sed nihil attinet plura hic proferre. De mari magno diximus, Mediterraneum illud esse quod ubi Ægyptum alluit, Nilumque excipit, ægyptiacum appellatur; unde sursum, hoc est, versùs aquilonem porrectum, sed mollior tamen in orientem se sinans, universam Chananaeam ambit ab occidente, et Syriam, mox etiam Phœnicæum dicitur, tandemque in Issico sinu apud Ciliciam desinit. Quia autem, ut dixi, occidentem terræ sanctæ claudit, sæpè pro ipso occidente, cum de hæc verba fiunt, usurpatur. Igitur in his verbis: *A deserto usque ad Euphratem*, descriptio est à meridie in septentrionem, quamquam sensim ad orientem versùs recedatur. In Genesi hoc spatium his verbis expressum legitur: *A flumine Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem*.

Verumenimverò difficilis hic nascitur quæstio: Quorsùm spectat hujus tam ample regionis promissio, quæ ad Euphratem usque pertinet, quando certum est, longè citra Euphratem, ab ipso Deo alibi definitam esse Israelitarum hereditatem, quam sortitò inter se partiri jubentur, imò hæc quidem angustiorum adversùs prisicos incolas obtinere totam illos potuisse, ut est in Judæcom historiâ multis comprobatum exemplis? Sed responderi verissimè, nisi fallor, potest, Deum despondisse, atque destinasse Israelitis suis fines diversos

duos: alteros qui non ultra eum locum, qui *aditatus ad Hemath*, appellatus est, extendebantur in septentrionem; alteros verò, qui ulterius et Euphratem usque excurrerant, et illis quidem angustioribus primum contentos vivere, sorte inter se distributis, voluisse, usque eò, dum magis magisque augescentes, spatio ampliore opus haberent. Cum verò, freti Deo, illos universos occupavissent, neque barbaris Deoque invisis gentibus quidquam illic reliqui fecissent, tunc demùm fore tempus, quò possent etiam ultra progredi, atque ad Euphratem usque omnia sub suam ditonem loca, ut sedes proprias, exactis possessoribus pristinis, subjungere, si bique ut hereditatem, suo jure vindicare, si tamen interim perpetuâ suâ adversùs Deum pietate, dignos se ampliore ejus liberalitate præstitissent. Sed D. Augustini sententia est, reliquum illud spatium, quod ultra angustiores illos limites ad Euphratem usque pertingit, vectigale quidem facere permissum Israelitis fuisse, sed non suæ ipsorum hereditati adjungere, veteresque colonos eliminare. Verùm ei sententiæ non satis consentanea videntur ipsa Dei verba, dum ait: *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi: et aperit pugnant illa, quibus in Deuteronomio, cap. 19, v. 8, de tribus aliis assyris olim, si usus sit, constitutendis agit. Sic enim loquitur: Si verò amplificaverit Dominus Deus tuus terminum tuum, sicut juravi majoribus tuis, dederitque tibi universam terram, quam dixit se daturum illis; nempe, si observaveris omne hoc mandatum, regne ipsâ præstitis, quod ego tibi hodiè impero, hoc est, auveris Dominum Deum tuum, et semper insisteris viis ipsius, tum addit insuper tria oppida ad ista tria, ne fundatur sanguis innocens in mediù terræ tuâ, quam Dominus Deus dat tibi hereditatem, etc. Ex his enim verbis duo conficiuntur: alterum, laxiores illos fines nequaquam Israelitis initio possessum ire debuisse, aut potuisse etiam, sicut angustiores; sed tum demùm illos sperare fas ipsi fuisse, ubi diutinâ in Deum observantiâ atque amore, se ipsi liberalitate majore dignos præstitissent; alterum, illud ætæruum, si quidem aliquando prioribus possessionibus adjunctum iretur, non minùs atque hæc proprium Israelitarum, et hereditarium esse futurum, non autem vectigale; sunt enim explicatissima illa verba: *Quam Dominus Deus tuus dat tibi hereditatem*. Haudquam igitur periclitari, nedùm labefactur, veritas promissionum divinarum, etiam suas ommissiones hereditarias protulisse nunquam*

verò Israelitas ad Euphratem usque fateamur, quando sacram historiam recolenti perspicuum est, eos plerumque ita parum coluisse pietatem ad versùs Deum, atque amorem, ut multò magis admiranda sibi hujus indulgentissima facilitas, et misericordia, qui tanto tempore illos in felicissimâ illâ Chananaea manere passus sit, quam promissorum ejus constanti et fides in dubium vocanda.

Multi agitant tamen, tunc cum David et Salomon agitant imperium, qui reges Christum adumbrant, Israelitas longè et latè omnia ad Euphratem usque possedisse. Nam de Salomone amplissimo regno, sic scriptum est in Regum historiâ: *Et Salomon dominabatur in omnibus regnis, à fuminè (Euphratem intellige) usque ad terram Palestinorum, et usque ad fines Egypti adferebant munera, et serviebant Salomoni, quantum visibat.* Mihi tamen, quod doctissimorum virorum pace dixerim, illud ex his verbis minime effici videtur. Etsi enim negari non potest, cum Davidem, tum Salomonem, ultra eos fines, quos Josua Israelitis sorte assignaverat, longè latèque partim subactis, partim voluntariis provinciis imperâsse; probari tamen non posse potest, earum provinciarum ullis partibus esse Hebræos, ut suis possessionibus, colonisque suæ gentis illuc emisisset; et quod Deus, ut nuper commemorabam, jusserat, nova in illis asyla, et in sua terrâ, instituisse. Quippe miserat illis Deus eorum populorum dominationem, at nondum tamen excidium. Quod dico explicatissima sacris verbis res est. Nam hoc post illa, quæ de Salomonis imperii amplitudine jam memoravi, hæc sequuntur: *Et sedit Juda, et Israel securè, quisque sub sua vite, et sub sua fico, à Dan usque ad Bersabeam, per omne tempus Salomonis. Nec magno intervallo ista, cum sacram eodem dedisset Salomon, egit Salomon eo tempore festum, et omnis Israel cum ipso, cunctos maximis, ab aditu Hemath, usque ad flumen Egypti, coram Domino Deo nostro, etc.*

Quis, queso, non videt, populum israeliticum etiam tunc, cum Salomonis imperium esset maximum, non latius habitâsse, quam patere termini intra quos Josua possessiones cuique tribu distribuerat? Ad hæc, si quis duodecim præfecturas, quas instituerat Salomon, quo tempore imperii gloria florebat maximè, nominatorum locorum observatione peragret, nullas fuisse extra Chananaeam institutas videbit. Externum igitur illud Davidis Salomonisque imperium, quod etiam ultra Euphratem illi habebant, securitatem modò Israelitis, non etiam ampliores possessiones parebat. Neque

verò absurdum est, si quæ sub conditione promittantur, ut forensibus verbis utar, ea nunquam exstante conditione, nunquam præstentur. Neque tamen negaverim, illam tantam Davidis et Salomonis potentiam, fuisse obscurum quoddam, atque adumbratum specimen promissæ istius amplioris hereditatis; sed quam tandem reipsâ veri Israelitæ, et semen Abrahæ per fidem essent consecuturi tum, cum Christus regnum obtineret, quod apertè multò minis, quam adversùs populi contumaciam fuisse negotii. Cæteroque faciliè patiuntur sacra verba, ut curam utramque conjugamus hoc sensu: Non consistet quisquam, vel hostium, vel popularium tuorum, adversùs te, illi patriam defendendo, hi tuum imperium detrectando.

Quod porrò additur, *omnibus diebus vita tuæ, continuum felicitis successibus tenorem pollicetur.* Neque enim expetendæ illæ victoriæ sunt, quibus primùm blandientibus, in maximas deinde clades provehimur. Nam quod quidam existimant, eas calamitates tectè innui, in quas se Israelitæ, suâ vecordia, et adversùs Deum impietate, ipsi conjecerunt, post Josuæ excessum, id verò parum est consentaneum prolixissimis istis pollicitis, quæ superiore versiculo audivimus. Et profectò absurda sit, parùmque efficax Dei hortatio, si ita dicat: Traductio populum in Chananaeam, nihil veritatis fortiores hostes. Non enim hi, te vivo, resistere populo meo poterunt; verùm post tua fata, quid populo meo futurum sit, ipse viderit. Cum enim bonus princeps nihil differre debeat à parente bono, ut rectè apud Xenophontem Chrystantas censebat, nemo verò, opinor, dubitaverit, quin Josua longè optimus fuerit princeps; qui potuit non esse de populo suo post se sollicitus? quando videmus parentes probos suæ liberorum curæ et sollicitudinis partem maximam ultra fata sua extendere. Non ergo veluti metitur Deus, in his verbis, victoriam Josuæ vitæ, eaque definit. Nam nuper propagandos etiam ad Euphratem usque fines dicebat. Ejus verò rei eventus non ex Josuæ vitâ, qui solam Chananaeam erat distributurus, sed ex populi proba in Deum officio, ut dicebamus, pendebat. Porrò illud, *sicut fui cum Mose ero tecum, causam continet ejus quod præcedit, ac si dicat: Ideò tibi nemo poterit resistere, quia ego tibi adero, ut Mose olim. Monemur ergo, neque Mosen suâ virtute atque industriâ res illas præclarissimas gessisse, quas gessit; neque, quod in hujus commentarii initio dicebamus, incredibilem illam*

ut te non sustineam. Sed enim verosimile fit ex superioris serie orationis, id modò hoc versiculo agi, ut is metus ex animo Josuæ pellatur, quem hostium rerum consideratione poterat concipere: sequentibus verò versibus eas simul eximi difficultates, quas imperii procuratio secum trahere solet. Neque enim plus sæpè ab adversariis, quam à suis militibus metuere sibi imperatores debent. Neque ignorabat ille, Mose ubique adversùs hostium vires multò minis, quam adversùs populi contumaciam fuisse negotii. Cæteroque faciliè patiuntur sacra verba, ut curam utramque conjugamus hoc sensu: Non consistet quisquam, vel hostium, vel popularium tuorum, adversùs te, illi patriam defendendo, hi tuum imperium detrectando.

Quod porrò additur, *omnibus diebus vita tuæ, continuum felicitis successibus tenorem pollicetur.* Neque enim expetendæ illæ victoriæ sunt, quibus primùm blandientibus, in maximas deinde clades provehimur. Nam quod quidam existimant, eas calamitates tectè innui, in quas se Israelitæ, suâ vecordia, et adversùs Deum impietate, ipsi conjecerunt, post Josuæ excessum, id verò parum est consentaneum prolixissimis istis pollicitis, quæ superiore versiculo audivimus. Et profectò absurda sit, parùmque efficax Dei hortatio, si ita dicat: Traductio populum in Chananaeam, nihil veritatis fortiores hostes. Non enim hi, te vivo, resistere populo meo poterunt; verùm post tua fata, quid populo meo futurum sit, ipse viderit. Cum enim bonus princeps nihil differre debeat à parente bono, ut rectè apud Xenophontem Chrystantas censebat, nemo verò, opinor, dubitaverit, quin Josua longè optimus fuerit princeps; qui potuit non esse de populo suo post se sollicitus? quando videmus parentes probos suæ liberorum curæ et sollicitudinis partem maximam ultra fata sua extendere. Non ergo veluti metitur Deus, in his verbis, victoriam Josuæ vitæ, eaque definit. Nam nuper propagandos etiam ad Euphratem usque fines dicebat. Ejus verò rei eventus non ex Josuæ vitâ, qui solam Chananaeam erat distributurus, sed ex populi proba in Deum officio, ut dicebamus, pendebat. Porrò illud, *sicut fui cum Mose ero tecum, causam continet ejus quod præcedit, ac si dicat: Ideò tibi nemo poterit resistere, quia ego tibi adero, ut Mose olim. Monemur ergo, neque Mosen suâ virtute atque industriâ res illas præclarissimas gessisse, quas gessit; neque, quod in hujus commentarii initio dicebamus, incredibilem illam*

felicitatem, quæ imperium omnium difficillimum est à Josuâ administratum, ejus dexteritati, aut aliis virtutibus, quibus aliqui præditus atque ornatus erat maximis, esse adscribendam, sed Deo. Imò verò in universum, sic statuendum est: neminem mortaliū suo consilio, viribusque magna atque pulchra facinora facere; sed ea omnia uni Deo, qui hominibus, ut administris utitur, accepta referri debere, quatenus certè proba sunt. Nam extremæ improbitatis fuerit, improbi facti Deum, qui ipsissima est probitas, auctorem existimare. Neque illud modò in his rebus verum est, quæ patrantur ab hominibus qui puram religionem susceperunt, sed juxta in illis etiam quæ à profanis fiunt. Nam, ut ante dixi, quamvis Cyrus sum Xenophon magnis artibus, quas ex recta institutione perciperet, et simul indolis suæ bonitate fretum existimaverit, maximas et admirabiles illas res gessisset, tamque facile et stabile imperium in nationes prope innumerabiles, et quidem barbarissimas obtinuisse; tamen reverà non solum monitore, atque præmonstratore, sed etiam adjutore, imò verò, ut sic dicam, effectore Deo illa omnia esse à Cyro acta, testatur Deus ipse apud Isaiam, cap. 45, v. 1, his verbis: *Sic ait Dominus ad unctum suum Cyrum, cujus dextram apprehensam confirmavi, ut gentes sub ipsius imperium subjungam, et regum lumbos discingam; ut aperiam ostia ante ipsum, neque portas occulantur. Ego tibi præibo, et anfractus ut sint recti efficiam, ostia aenea confringam, et claustra ferrea laxabo. Daboque tibi thesauros, qui in tenebris latent, et res occulte abditas, ut intelligas me esse Dominum, qui te appello nomine.* Et que deinceps sequuntur in eandem sententiam prædicta multò antequàm Cyrus esset natus. Sed interim diversa ratio proborum atque imperiorum administratorum est. Illi enim Dei in se efficientiam agnoscunt, eamque suâ obsequiosâ voluntate atque arbitrio, quodam modo efficienter adjuvant; hi verò semet, non Deum, efficere quiddam id est, arbitrantur, Deique ductum, non aliter atque cæci, sequuntur imprudentes, dum non ad ejus voluntatem se applicat accommodantque, sed sui animi libidinis satisfacere propositum habent. Hujus rei luculentum nobis præcipit exemplum idem Isaias in rege Assyrio, cum Deum inducit dicentem, se illo usurum pro virgâ furoris sui, ad castigandum Israel; verum interim illum longè alia animo agitaturum: nempe plurimas gentes excisc-